



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

11 De palmarum ramis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

## DE PALMARVM RAMIS.

**E**CCLÉSIA Catholica hanc seruat ab antiquis tēporibus consuetudinē, vt Dominica die, quæ proximè festiuitatē Paschæ præcedit, palmarū, oliuarum, similitumq; arborū ramos, solennibus precibus benedicat, populoq; Christiano gestandos, & domi ad salutare effectus conseruandos tradat. Quæ cerimoniam duo, quæ circa Christi Domini personā gesta sunt, significantur. Alterū: insignis ille ingressus in ciuitatē Hierusalem, hoc ipso festo Palmarū. Alterū: triumphus ille gloriosus, quē per passionē & mortem suam deuictis hostibus, de principe huius mundi, uersoq; inferno reportauit, idq; in gratiā nostrī, quos non nostris meritis, sed benigna suā misericordia liberauit. Proinde rami palmarū, victoriam atq; triumphum significant: rami autem oliuarum, misericordiam.

Cæterū ne more veteris legis, careat suo fructu ista significatio, accedunt preces & benedictiones Ecclesię, quibus Deus rogatur, vt gestantes hos ramos

1. Accipiant protectionem mētis & corporis in salutis remedium, & ad gratiā diuinam obtinendam.
2. Vt, sicut rami virentibus sunt foliis: ita frondeant opera nostra virore iustitię, & virtutum multarum pulchritudine.
3. Vt sicut Hebręorum populus Christo his ramis occurrit, & cū ipso in ciuitatem Hierusalem

falem intrauit : ita nos bonis operibus instru-  
cti Domino obuiam procedamus , eiusq̄. ve-  
stigia sequentes, per ipsum, & cum ipso in cæ-  
lestem Hierusalem admittamur.

4. Vt, sicut Christus de hoste per passionem  
suam triūphauit: ita & nos sæpè hoc opus mi-  
sericordiæ animo voluētes, amore Christi ac-  
cendamur ad pugnam, & ad victoriā de Dæ-  
mone, carne & mundo referendam.

5. Vt, in quemcunq. locum importati fue-  
rint hi rami, habitatores Dei benedictionem  
consequantur, & omni aduersitate fugata, de-  
xtera Dei protegantur.

Dum igitur ex mēte Ecclesiæ, deuoto ani-  
mo hos ramos seruamus, gestam<sup>9</sup>, aut ad vsum  
pium adhibemus : precamur facto ipso Chri-  
stum Dominum, vt per passionem & mortem  
suam, qua Dæmonem superauit & fregit, &  
per misericordiam suam immensam, qua hoc  
sine nostris vllis meritis egit, Dæmonē, om-  
nemq̄. aduersitatē à nobis, & ab ædibus no-  
stris pellat: ne vel aëris tempestate, vel alio in-  
commodo quocunq. nobis noceat: quin po-  
tius Dei dextera nos protegat, & non solum  
corpora à malis tueatur, sed animæ quoq. gra-  
tiam suam infundat, vt multis virtutibus or-  
nati, & bonis operibus florentes, Christi ve-  
stigia sequamur, hostes nostros omnes visibi-  
les & inuisibiles superemus, & ad gaudia cæ-  
lestis Hierusalem, ab Angelis cum triumpho  
introducatur.